



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. IV. De causa gratiæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

S. I.

Vera sententia statuitur.

injuriā: quia, ut ait Prosper ad Demetriadem, A
cap. 7. Gratia Dei, nisi tota suscipitur, tota repellitur: sicut enim alienus est à numero fidelium, & forte sanctorum, qui in aliquo à Catholica veritate dissentit, ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de ipsius plenitudine dissentit. Plenitudo porro ista pro presenti humanæ infirmitatis statu, binas includit prerogativas, quarum una in gratiæ sufficientia, altera in ejus energia, seu efficacia consistit. Quisquis proinde live de sufficientia, live de efficacia Christianæ gratiæ aliquid dissentit, extra gratiam penitus esse convincitur: quia, ut ex Prospero jam audivimus, Hæc tota repellitur, nisi tota suscipitur; unde rectè ibidem paulo infra subinfert: Plenè ergo & veraciter confitenda est gratia Dei simulque sufficientia & effi-

cacia ejus prædicanda. B

Utramque semper schola Thomistica constanter docuit & prædicavit, ac indefesso labore ab ortu suo per quatuor sæcula non minus fortiter ac generose pro sufficienti, quam pro efficaci gratia decertavit. Hæc est doctrina, quam sicut in suis amabulis ab uberibus Angelicis Angelicis Doctoris; cum qua adolevit & crevit, & cum qua semper gloriose vivit & vincet, palmaque instar altius inclinata resurget; nec portæ inferi prævalebunt adversus eam.

Plura circa utramque gratiam hic inferenda paraveram, quæ ob reverentiam Apostolicæ Sedis strictissime prohibentis, nè hujusmodi quaestiones & controversiæ typis mandentur, libenter supprimo, donec ea publicandi facultas concedatur. Hæc est tota silentij nostri ratio, & sacrum sigillum.

Sivero (studiosè lector) completum de gratia Tractatum habere velis, lege quæ de Divinorum decretorum efficacia & voluntate Dei antecedente & consequente contra Janfenianos, & Molinistas fusè tractavimus; ex principiis enim ibi statutis facile colligere poteris, quæ hic de gratia sufficienti & efficaci desiderantur.

DISPUTATIO IV.

De Causa gratiæ.

Ad quaest. 12. D. Thomæ.

Declaratis necessitate naturæ, & speciebus utriusque gratiæ, habitualis scilicet & actualis, sequitur dicendum de causis ejus: præcipua autem difficultas est de causâ efficiente, & dispositiva gratiæ habitualis, quæ est primum analogatum sub hoc nomine gratia, unde de histantium causis hic agemus.

ARTICULUS I.

Utrum solus Deus possit esse causa principalis gratiæ habitualis?

Partem negativam tenent Medina 3. parte quaest. 13. dubio ultimo, & Cabrera ibidem disp. 2. ubi docent humanitatem Christi, seu Christum inquantum hominem, esse causam principalem gratiæ sanctificantis in omnibus justis, secundariam tamen, & Deo subordinatam. Sed pro contrariâ, & ab omnibus ferè receptâ sententiâ defensione, sit

Dico igitur, nullam creaturam, quantumcunque perfectam, nequidem Christum inquantum hominem, posse esse causam principalem gratiæ sanctificantis. Ita D. Thomas hic art. 1. in corp. & in resp. ad 1. ubi ait: Humanitas Christi est sicut quoddam organum Divinitatis ejus... & ideo non causat gratiam propria virtute, sed ut instrumentum virtutis Divinitatis adjunctæ.

Probatum primò conclusio: Scriptura & SS. Patres attribuunt Deo ut ipsi proprium, justificare homines, & à peccato mundare: Sed homines justificantur, & à peccato mundantur per gratiam sanctificantem: Ergo productio gratiæ soli Deo ut causâ principali tribui potest. Minor patet: Major verò probatur ex illo Job. 14. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Et ex illo Isaïæ 43. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates. Item ex illo ad Roman. 8. Vem est qui justificat, qui est qui condemnet? Quibus verbis aperte declaratur, nullam creaturam posse principaliter mundare aut justificare hominem, sed id esse Deo proprium & singulare. Quare Augustinus lib. de peccat. meritis cap. 14. ait: Si quis dicere potest, ego justifico te, etiam dicere potest exde in me. Unde concludit, quòd sicut non est credendum nisi in solum Deum, ita nullam creaturam, sed solum Deum justificare posse.

Neque v. Met. si dicas, illa testimonia intelligenda esse de causâ principali quæ sit prima, ac proinde independens à superioris concursu; non tamen de principali secundaria. Non valet, inquam, cum enim proprium sit Dei esse causam primam & independentem ab alia superiori, non tantum respectu divini gratiæ, sed etiam per ordinem ad quemcunque effectum, nihil locis citatis assereret Scriptura, quòd esset speciale productioni ipsius gratiæ.

Probatum secundo: Qui principaliter causat gratiam, dat etiam ut causâ principalis Spiritum sanctum: Sed nulla creatura, neque etiam Christus inquantum homo habet potestatem physicam & principalem ad dandum Spiritum S. Ergo neque ad infundendam gratiam. Major patet, nam in ipsa collatione gratiæ & charitatis datur Spiritus S. juxta illud ad Roman. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Minor verò suadetur primò ex D. Thomæ 3. p. qu. 8. art. 1. ad 1. ubi sic ait: Dare gratiam, aut Spiritum S. convenit Christo secundum quòd Deus autoritativè, sed instrumentali ter convenit etiam ei, secundum quòd est homo, inquantum scilicet ejus humanitas instrumentum fuit Divinitatis ejus. Quam doctrinam hausit ex Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 12. ubi distinguit plura, quæ Christo conveniunt quatenus Deus est, & quatenus homo: inter alia verò docet Christum secundum formam Dei Joan. 16. Apostolis de Spiritu S. ad illos post suam ascensionem mittendo, dixisse: Si autem abiero, mittam illum ad vos, secundum formam verò servi, quatenus scilicet erat filius hominis, dixisse Joan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis: quo significat se ut hominem non posse principaliter ex sua autoritate dare Apostolis Spiritum S. sed quatenus est homo, debere ipsum precibus à Deo obtinere.

P 3

Confir-

Confirmatur ex Cyrillo l. 11. in Joan. cap. 35. ubi docet, ideo dictum fuisse Num. 11. Deum accepisse de spiritu Moyse, & dedisse septuaginta Senioribus, ut significaretur nullum præter Deum posse principaliter dare Spiritum sanctificationis: Ergo nulla creatura, nec etiam Christus, in quantum homo, habet potestatem physicam & principalem ad dandum Spiritum S.

Ratio etiam id suadet: Oportet enim donum esse quodammodo ipsius dantis, vel per identitatem, vel per originem, vel per possessionem, ut docet D. Thomas 1. 2. qu. 38. art. 1. ad 1. Sed nullo istorum modorum potest Spiritus sanctus esse Christi, in quantum hominis, multo minus alicuius puræ creaturæ: Ergo nec Christus, ut homo, nec aliqua creatura potest dare principaliter Spiritum sanctum.

6. Probatur tertio conclusio: Per gratiam habitalem adoptamur in filios Dei: Sed nulla creatura, nec etiam Christus, in quantum homo, potest principaliter nos adoptare in filios Dei: Ergo neque nobis tribuere gratiam. Major patet ex dictis toto ar. 6. disp. 2. Minor probatur. Adoptare in filium soli illi convenit, qui habet naturam, quæ est principium quo generationis naturalis; cum filius adoptivus substituitur loco filij naturalis: Sed humanitas Christi non est natura, quæ sit principium quo generandi filium naturalem Dei: Ergo Christus ut homo nequit principaliter nos adoptare in filios Dei.

7. Confirmatur: Ille solum potest adoptare in filium, qui connaturaliter habet ius ad hereditatem: Sed nec Christus ut homo, neque ulla pura creatura habet connaturaliter ius ad visionem beatam, quæ est Dei hereditas; cum visio beatifica nulli rei creatæ, vel creabili possit esse connaturalis, ut in Tractatu de visione beata ostensum fuit: Ergo idem quod prius.

8. Confirmatur amplius: In hoc differt adoptio divina ab humana, quod ista fit per solam acceptionem extrinsecam ad hereditatem patris adoptantis; illa vero per intrinsecam adoptati mutationem, ut docet D. Thomas 3. p. qu. 23. art. 1. in corp. his verbis: *Hoc autem plus habet adoptio divina, quam humana, quod Deus hominem quem adoptat, idoneum facit per gratia munus ad hereditatem celestem percipiendam; homo autem non facit idoneum eum, quem adoptat, sed potius eum iam idoneum eligit adoptando.* At nulla creatura potest physicè immutare animam, aut voluntatem hominis, sed id Deo proprium est, ac singulare; cum ipse solus possit intra terminos ejus illabi, & in finem ejus intrare, juxta illud Ezechiel.

44. *Porta hæc clausa erit, & vir non transibit per eam; quomodo Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Ergo nulla creatura, nec etiam Christus in quantum homo potest principaliter nos adoptare in filios Dei.

9. Quartò probatur conclusio: Si possibilis esset creatura, quæ gratiam sanctificantem principaliter physicè produceret, vel id præstaret eam creando, vel ex potentia obedientiali animæ educendo, neutrum dici potest: Ergo &c. Major patet: produci enim non potest gratia, nisi vel ex nihilo per creationem, vel per educationem ex potentia non naturali, sed obedientiali sui subiecti. Minor verò probatur in primis quoad creationem: quia cum creatio sit productio entis à nihilo, atque adeo entis quæ ens est, necesse est quod ille, qui est causa principalis creationis, habeat dominium supra ens producibile ut sic

atque adeo quod sit dominus omnis entitatis producibilis; quod tamen repugnat manifestè convenire alicui creaturæ.

Secundò quoad educationem de potentia obedientiali animæ, probatur eadem Minor: quia sicut qui educit principaliter aliquid de potentia naturali subiecti, habet eo ipso dominium supra talem potentiam; ita qui educit aliquid de potentia obedientiali, debet similiter habere dominium in talem potentiam: Atqui potentia obedientialis, cum sit ea, quam habet quælibet creatura ad obediendum Deo in omnibus, quæ non implicat contradictionem, dominio creaturæ subdici non potest: Ergo nulla creatura potest ut causa principalis educere gratiam sanctificantem ex potentia obedientiali animæ.

Denique suaderi potest conclusio ratione D. Thomæ hic art. 1. Causa principalis debet esse majoris, vel saltem aequalis perfectionis cum suo effectu: Sed nulla creatura potest superare, vel adæquare in perfectione gratiam sanctificantem; cum enim illa sit formalis, ac physica naturæ divinæ, ut infinita est, & ens per essentiam, & quatenus totam essendi plenitudinem continet, participatio, superat in perfectione essentiali omnem substantiā creatam & creabilem, ut supra ostensum est: Ergo nulla potest dari creatura, quæ sit causa principalis gratiæ sanctificantis.

Confirmatur: Producere gratiam in anima, est animam deificare, communicando ipsi physicum naturæ divinæ consortium: Sed deificare est solius Dei per modum causæ principalis, sicut ignis per modum causæ principalis est solius ignis, vel alterius continentis eminenter naturam ignis, puta Solis: Ergo solius Dei est gratiam sanctificantem per modum causæ principalis producere.

Dices hanc rationem probare quidem nullam creaturam per virtutem sibi connaturalem posse principaliter producere gratiam, non tamen convincere, id non posse præstare per qualitatem aliquam sibi superadditam.

Sed contra: Qualitas ista, vel esset gratia in tali creatura existens, vel aliqua alia qualitas à gratia distincta? Neutrum dici potest: Ergo ruit instantia. Probatur Minor in primis quoad secundum: quia omnis alia qualitas supernaturalis distincta à gratia secundum suam speciem est multo imperfectior ipsa gratiā producta, cum gratia sit formalis participatio divinæ naturæ per modum naturæ: quod autem est formale principium producendi principaliter aliquem effectum, non debet esse imperfectius ipso effectu: Ergo qualitas illa superaddita non potest esse principium producendi principaliter gratiam. Probatur etiam Minor quoad primum: quia gratia non est qualitas productiva sui similis; alius unus Angelus, vel anima in gratia constituta posset producere similem gratiam, alioquinque habitus supernaturales in alijs, eoq; sanctificare, quod nullus dicere audeat. Et ratio hujus videtur esse: quia gratia non est forma immediate activa, sed mediate solum, mediantibus scilicet virtutibus supernaturalibus, quæ se habent veluti ejus potentia & proprietates: At medijs virtutibus supernaturalibus non potest gratia producere aliam gratiam; nam vel illam produceret in eodem subiecto in quo ipsa est; & hoc non potest dici, quia alias duo accidentia solo numero distincta essent in eodem subiecto; vel in alio subiecto, & hoc etiam affirmari nequit, quia

VIRTU-

virtutes supernaturales (idem dicendum de quolibet alio habitu) non agunt in exterius subiectum, quandoquidem agunt per actiones immanentes. Ergo &c.

13. Ex his inferes, nullam creaturam esse posse causam efficientem principalem virtutum supernaturalium: Nihil enim potest esse causa principalis proprietatum, quod non sit causa principalis formæ ad quam consequuntur: Sed virtutes supernaturales comparantur ad gratiam, veluti proprietates ad essentiam, ut docet D. Thomas supra qu. 110. art. 4. ad 1. Ergo nihil potest esse causa efficiens principalis illarum, quod non sit causa principalis gratiæ. At huius (substituto) nulla datur, nec dari potest causa principalis, nisi Deus, ut ostensum est: Ergo nec virtutum supernaturalium. Unde virtus infusa sic ab Augustino definitur: *Virtus est bona qualitas mentis, quæ recte vivitur, & nemo male vitur, & quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Quibus verbis aperte declarat virtutes infusas, Theologicas, vel morales à solo Deo effective, & à nobis solum meritorie & dispositivè produci.

14. Dices: Per actus naturales homo effective causat virtutes acquiritas: Ergo pariter per actus supernaturales fidei, spei, & charitatis virtutes illas supernaturales effective attingit, & non solum meritorie & dispositivè.

Respondeo concesso Antecedente, negando Consequentiam & paritatem: duplex enim assignari potest ratio discriminis. Prima est, quia actus naturalis, ut subordinatus potentie naturali, adæquat, vel excedit in perfectione ipsum habitum acquisitum; non autem actus supernaturalis, etiam ut subordinatus potentie habenti auxilium supernaturale, habitum infusum. Secunda est, quia habitus supernaturales plus habent de ratione potentie, quam de ratione habitus, cum non solum dent facilius, sed simpliciter posse operari: actus autem secundus nupquam esse effectivus illius actus primi, qui dat simpliciter posse, ut patet inductione in naturalibus; actus enim visionis nec producit, nec intendit potentiam visivam, nec actus intellectus potentiam intellectivam; quia actus secundus ex sua intrinseca ratione supponit potentiam: Ergo actus supernaturales nec producant, nec intendunt effective habitus supernaturales, sed tantum meritorie & dispositivè ad eorum productionem, vel intentionem concurrunt.

§. II.

Solvuntur objectiones.

15. Obijciunt in primis Adversarij plura Scripturæ testimonia, quibus insinuari videtur, Christum, ut est homo, esse causam physicam principalem nostræ gratiæ: dicitur enim Joan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum data est.* Ubi teste D. Thomâ ibi lect. 10. præfert Evangelista Christum Moysi, non solum quoad excellentiam operum, quia videlicet per Moysen data est lex, per Christum verò gratia & veritas; sed etiam quantum ad modum operandi, quia lex data est per Moysen, sicut per proponentem; gratia autem & veritas facta est per Christum, sicut per Dominum & autorem. Item Joan. 10. Christus dicebat: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur:* in ostio verò importatur principalis autoritas, ut ait D. Thomas 3. p. qu. 8. art. 6. ad 3. Unde idem S. Doctor in 4. dist. 5. qu. 2. art. 2. quæstiunc.

2. sic ait: *Agens principale baptizando est ipse Deus per auctoritatem, & ipse Christus secundum quod homo.*

Respondeo Christum respectu gratiæ duplicem habuisse potestatem, ut docet S. Thomas 3. p. qu. 64. art. 3. & 4. unam auctoritatis, seu principalis agentis, quæ ei convenit, quatenus est Deus: aliam excellentiæ, seu ministerij principalis, quæ ei competit ut est homo, in quantum ejus humanitas est instrumentum conjunctum Divinitati in persona, ob quam principalem docet S. Doctor ar. 4. cit. posse potestatem excellentiæ nominari auctoritatem. Si ergo loca Scripturæ citæ velimus intelligere de potestate auctoritatis, seu principalis agentis, dicendum est ea loqui de Christo non ut homine, sed ut Deo; seu de filio hominis, non ratione naturæ, sed ratione personæ, cui, cum sit divina, & Deus, convenit esse causam principalem gratiæ. Si verò quis contendat, hæc & similia Scripturæ testimonia de Christo ut homine, & de filio hominis ratione naturæ esse intelligenda, exponenda erunt de potestate excellentiæ, quæ auctoritas etiam appellatur, non quidem agentis principalis, sed instrumenti conjuncti, quod principalem quandam habet respectu instrumentorum separatorum.

Ad auctoritatem verò D. Thomæ desumptam ex lib. 1. sententiarum, dicendum est, S. Doctorem ibi non alterere, Christum esse agens principale physicum gratiæ, sed duntaxat morale, quatenus est causa principalis meritoria gratiæ, unde ibidem subdit: *Cujus meritum operatur in baptismo.* Et infra dist. 19. qu. 1. ar. 1. quæstiunc. 2. sic habet: *Potestas clavium in Christo est sicut in per se agente ad salutem nostram, per auctoritatem quidem, in quantum est Deus, sed per meritum, in quantum est homo.... Et ideo dicitur, quod habet clavem excellentiæ.*

Obijcies secundo: Causa quæ est in actu per formam nobiliorem effectum per eam productum, est principalis respectu illius: Sed Christi humanitas est in actu ad producendam gratiam nostram per formam nobiliorem illam: Ergo est causa principalis nostræ gratiæ. Major constat: Minor probatur. Christi humanitas est in actu ad producendam nostram gratiam, per suam gratiam habitalem; cum per illam constituatur caput hominum, & capitis sit in membra influere: Sed gratia Christi est longe nobilior nostrâ: Ergo humanitas Christi est in actu ad producendam gratiam nostram, per formam nobiliorem illam.

Respondeo negando Minorem: Ad cujus probationem, distinguo Majorem: Est in actu per suam gratiam, secundum se & formaliter sumptam, nego Majorem: ut determinatam per aliquam virtutem ei superadditam, concedo Majorem, & Minorem, & nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Gratia Christi non est de se operativa, & productiva nostræ gratiæ, sed solum per virtutem instrumentalem ei superadditam, quæ imperfectior est gratiâ ipsâ tam Christi quâ nostrâ; & propter hanc virtutem habet quod sit gratia capitalis influens in membra: ut autem Christi humanitas esset causa principalis physica nostræ gratiæ, esset necesse quod de se esset productiva gratiæ, vel quod virtus activa ei superaddita ad illius productionem, esset saltem æquæ nobilis ac nostrâ gratia: de quo plura dicemus in Tractatu de incarnatione.

Obijci-

Objicies tertio: Qui causat principaliter ultimam dispositionem ad aliquam formam, ipsam quoque formam principaliter producit; v.g. qui producit principaliter calorem ut ostendit, inducit etiam principaliter formam ignis: Sed homo principaliter efficit actus contritionis & charitatis, qui sunt ultimae dispositiones ad gratiam sanctificantem: Ergo est causa principalis illius.

21. Respondeo primo, agens quod ultimam dispositionem ad aliquam formam principaliter efficit, ipsam quoque formam principaliter efficere, si talis forma non habet rationem naturae in aliquo ordine respectu ipsiusmet agentis, quod disponit ad eam; sed si habet rationem naturae respectu illius, quod se ad eam disponit; sicut se habet gratia sanctificans, est enim natura hominis ad ordinem supernaturalem elevata, ut ex supra dictis patet.

22. Respondeo secundo, agens, quod ultimam dispositionem ad aliquam formam principaliter producit, ipsam quoque formam producere, quando illa forma resultat ex tali dispositione, & de potentia naturali subiecti educitur; sic enim in naturalibus, quae forma ignis resultat expositione ultimae dispositionis, & de potentia naturali ligni educitur, agens attingens per alterationem ultimam dispositionem, attingit etiam secundario ordine executione ipsam formam, & est causa principalis illius. Quando vero forma non resultat ex ultima dispositione, nec educitur de potentia naturali, sed obedientiali subiecti, tunc agens, quod ultimam dispositionem ad illam producit, non censetur principaliter ipsam quoque formam producere, quia potentia obedientialis soli Deo ita subijcitur, ut nullius creaturae dominio subdici possit: cum ergo gratia sanctificans non resultet ex nostris actibus, qui ad illam disponant, nec educatur ex potentia naturali, sed obedientiali animae rationalis, ut diximus art. seq. licet homo principaliter efficiat actus contritionis & charitatis, qui sunt ultimae dispositiones ad gratiam sanctificantem, non tamen propterea est causa principalis illius.

23. Dices, Homo dicitur concurrere effective & principaliter ad generationem hominis ex eo precise, quod materiam disponit ad recipiendam animam rationalem, licet illam non producat: Ergo similiter homo se disponens per contritionem ad receptionem gratiae, poterit dici causa principalis illius, quamvis per tales actus illam non producat, nec de potentia naturali animae rationalis producat.

24. Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est, quia homo generans, licet non producat animam rationalem, illam tamen physice unit cum materia mediantibus dispositionibus, quas in eam inducit; homo vero per actus contritionis non unit gratiam subiecto, haec enim ex potentia obedientiali animae a Deo educitur, & ipsa educatione ei per inhaerentiam unitur.

25. Objicies quarto: Homo est causa efficiens principalis actuum supernaturalium charitatis & visionis Dei, licet entitative supernaturales existant, & sint participationes divinorum actuum, ut docuimus in Tract. de visione beatifica: Ergo etiam potest esse causa principalis gratiae sanctificantis, quamvis illa sit entitative supernaturalis & participatio formalis divinae naturae.

26. Respondeo concessio Antecedente, negando

Consequentiam & paritatem: Ratio vero discriminis est, quia licet actus charitatis, aut visionis Dei sit operatio supernaturalis, praesupponit tamen in intellectu lumen gloriae, & in voluntate habitum charitatis, qui est ejusdem speciei & perfectionis cum ipso; gratia vero sanctificans non potest supponere in suo subiecto aliquod principium supernaturale sibi aequale in perfectione, a quo producatur, cum sit perfectissima forma ordinis supernaturalis.

Objicies ultimo: Potest dari qualitas, quae sit participatio divinae naturae, aut voluntatis, ut patet in gratia sanctificante, & in habitu charitatis: Ergo pariter potest produci qualitas, quae sit participatio divinae omnipotentiae, sive virtutis operativae Dei, ut est author supernaturalis: Sed talis qualitas esset causa principalis gratiae habitualis: Ergo de absoluta saltem Dei potentia potest dari aliqua creatura ita perfecta, quod sit causa principalis gratiae sanctificantis.

Respondeo possibiles esse, imò de facto dari tales qualitates, quae sunt participationes divinae omnipotentiae intra ordinem supernaturalem, etiam in genere causa principalis: sed neque illas qualitates, neque alias etiam ex omnibus possibilibus, esse participationes divinae virtutis quoad efficientiam gratiae sanctificantis in genere causa principalis; quia non potest adeo nobilis divinae essentiae participatio, qualis habetur per gratiam sanctificantem, ab alio, quam ab eadem divina essentia produci principaliter ob rationes supra assignatas; sicut etiam non potest dari aliqua creatura, quae sit causa principalis creationis, imò nec instrumentalis in sententia D. Thomae, & Discipulorum ejus.

ARTICULUS II.

Utrum gratia creetur, aut concreetur, vel de potentia obedientiali animae educatur?

§. I.

Quibusdam praemissis difficultas resolvitur.

Suppono primo ex Philosophia, hoc inter creationem & educationem reperiri discrimen, quod creatio est productio entis ex nihilo, sive ex nullo praesupposito subiecto; educitio vero est productio formae dependentem a subiecto, & transmutativa illius.

Suppono secundo, dupliciter aliquam formam educi de potentia subiecti; primo de potentia naturali ipsius; secundo de potentia obedientiali: inter quas potentias istud est discrimen, quod licet utraq; sit potentia passiva, tamen naturalis dicit ordinem ad agens naturale, obedientialis vero respicit agens supernaturale cui subijcitur.

Suppono tertio, hic nos loqui de connaturali productione gratiae, id est de illa productione, quam ex natura sua postulat: nullus enim dubitat, quin Deus de absoluta potentia possit eam creare, seu independentem a subiecto producere; quia licet illa essentialiter sit accedens, tamen sicut Deus de potentia extraordinaria potest efficere, quod accidentia independentem a subiecto existant (ut patet in speciebus Eucharisticis) ita potest illa independentem a subiecto producere: hic tamen modus productionis non esset ipsis connaturalis, sed praeternaturalis, & miraculosus. His praemissis

Circa propositam difficultatem triplex versatur sententia. Prima docet gratiam sanctificantem

Diff. 3.
art. 5.

tem immediate à Deo creari. Ita Alensis, Scotus, D. Bonaventura, Durandus, Vega; & ex Thomis Paludanus, & Capreolus. Secunda, quæ est Ferrarensis, Scoti, & Choquetij, asserit gratiam habitualement non creari absolute, sed concreari ad creationem hominis gratiæ, live iusti. Tertia, quæ est communior in schola D. Thomæ, affirmat illam de potentia obedientia- li animæ educi. Pro qua

Dico: Gratia sanctificans neque propriè creatur, neque concreatur, sed de potentia obedientia- li animæ educitur.

11. Prima pars huius conclusionis probatur primo ex D. Thomæ infra qu. 113. art. 9. ubi querit, an sit majus opus Dei creatio mundi, quam iustificatio impij? Et sub distinctione responderi dicens, quod ex parte modi operandi est majus opus creatio, quam iustificatio, cum illa sit ex nihilo, non ista; sed ex magnitudine rei quæ fit, majus opus est impij iustificatio, quam cæli & terræ creatio: Sed hæc differentia nulla esset, si gratia per creationem produceretur: Ergo juxta D. Thomam gratia sanctificans non creatur.

12. Confirmatur: Nulla creatura instrumentaliter creare, ut patet ex 1. p. quæst. 45. art. 5. Atqui ex eodem S. Doctore hic art. 1. ad 1. & 2. & 3. p. qu. 62. art. 1. Humanitas Christi & Sacramenta instrumentaliter concurrunt ad gratiam producendam: Ergo illa non creatur.

13. Probatur secundo eadem pars ratione Cajetani: Gratia, quando desinit esse, non annihilatur. Ergo neque quando producitur, creatur. Antecedens est certum: tum quia, ut docet D. Thomas 1. p. qu. 104. art. 4. annihilatio non intervenit de facto in operibus gratiæ: tum etiam, quia gratia destruitur præcisè ex vi separationis à subiecto; separatio autem à subiecto non est annihilatio, cum maneat subiectum. Consequentia verò probatur: Ex communi Philosophorum sententia inceptio & desinitio rei aliquis sibi correspondent, ita ut quod incipit per generationem, desinat per corruptionem; & quod desinit per corruptionem, incipiat per generationem; & similiter quod incipit per creationem, desinat per annihilationem: & contra: Ergo si gratia non desinat per annihilationem, signum manifestum est, eam non produci per creationem.

14. Probatur tertio eadem pars ratione fundamentali. Ideo intelligimus animam rationalem creari, quia per eandem actionem, qua producitur in corpore, posset produci extra corpus separatim, & quia illi naturale est, quod existat separata à corpore; cum non solum sit informans, sed etiam per se subsistens: At cum gratia sanctificans sit essentialiter accidens, subindeq; non sit per se subsistens, sed tantum inexistens; neutrum illi convenit, id est nec potest produci extra animam, nec existere sine subiecto, saltem connaturaliter: Ergo illa non creatur.

15. Quod verò etiam non concreatur, facile potest ostendi. Sicut enim ad hoc, ut aliquid congeneretur, requiritur ut fiat ad productionem alterius, quod propriè generatur, ita ad hoc ut aliquid concreatur, necesse est quod producat ad productionem alterius, quod propriè creatur. Sed quando gratia producitur, nihil propriè creatur, ad cuius creationem dicatur gratia concreari. Ergo gratia non concreatur. Major constat, Minor probatur. Quando enim producitur

Tom. IV.

A gratia, homo non propriè creatur, quantum ad suam substantiam, ut patet: neque quantum ad esse accidentale gratiæ, quod habet formaliter à gratia; tum quia incipit habere hoc esse per mutationem quandam, qua de non grato fit gratus, & tamen creatio non est mutatio; tum etiam, quia homo, quantum ad istud esse, non minus pendet in fieri à subiecto ut à causa materiali, quam ipsamet gratia.

Confirmatur: Ideo intellectus & voluntas fiunt per concreationem, quia cum sint proprietates animæ rationalis, fiunt per eandem actionem, per quam ipsa producitur: Atqui gratia sanctificans, cum non sit proprietas animæ, sed accidens ipsi indebitum, non fit per eandem actionem, per quam anima producitur, sed per diversam: Ergo non potest dici concreari à Deo ad creationem subiecti.

Hæc ratio probat non solum gratiam, quæ nobis in iustificatione infunditur, sed etiam quæ Angelis, & primis parentibus in primo creationis instanti collata fuit, non fuisse concreatam, quia licet illi non fuerint prius producti & existentes, quam gratia infunderetur, sed gratia naturam ipsorum comitata sit, juxta illud Augustini, *Erat Deus in Angelis condens naturam & largiens gratiam*; illa tamen, cum non fuerit propria passio fluens ab ipsorum essentia, & à naturalibus ipsorum principiis, non fuit producta per eandem actionem, qua ipsorum natura condita est, sed per diversam.

Ex his probata manet tertia pars: Si enim gratia non creatur, vel concreatur, debet educi ex aliqua potentia. Nam cum creatio &eductio contrahistoriè opponantur (creari enim est fieri ex nihilo, live ex non præsupposito subiecto; educi verò è contra est non fieri ex nihilo, sed ex subiecto præsupposito) inter illas actiones non datur medium: Sed gratia non potest educi de potentia naturali aut violenta sui subiecti, scilicet animæ, cum non sit ei connaturalis, vel repugnans: Ergo de potentia obedientia- li animæ educitur.

Confirmatur: Educitur fieri dependenter à subiecto: Sed gratia in suo fieri connaturaliter dependet à subiecto: Ergo educitur. Minor probatur: Productio rei alienius, si sit ei connaturalis, debet esse proportionata modo essendi illius: Sed gratia cum sit accidens, in modo essendi connaturaliter dependet à subiecto: Ergo etiam connaturaliter ab illo dependet in fieri.

Confirmatur amplius. Ideo anima rationalis non dependet in esse & fieri à corpore, subindeque non fit per educationem, sed per creationem, quia sine miraculo conservatur separata à corpore: Atqui gratia non potest conservari extra animam sine ingenti miraculo, simili illi, quo in Sacramento Eucharistiæ accidentia panis & vini sine subiecto conservantur: Ergo gratia connaturaliter dependet in esse & fieri à subiecto; & per consequens non per creationem, sed per educationem producitur. Unde S. Thomas qu. unica de virtutibus in communi art. 10. ad 13. agens de virtutibus infusis, docet eas educi de potentia obedientia- li animæ: eadem autem est ratio de gratia habituali, ac de illis virtutibus, cum illa sint ipsius gratiæ veluti proprietates, & simul cum ea animæ infundantur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam partem conclusionis obijci-
Ces primò, Scripturam multis in locis clare
docere.

- docere, quod gratia creetur. Psalmo enim 50. A David petens gratiam sibi à Deo donari, ait: Cor mundum crea in me Deus. Et ad Galat. 6. iustus dicitur Nova creatura. Item 1. Ephes. 2. fideles dicuntur Creati in Christo Jesu; & cap. 4. Induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis: quæ omnia explicari non possunt, nisi dicamus gratiam reverà creari.
43. Respondeo cum D. Thoma supra qu. 110. art. 2. ad 3. quod gratia in Scripturis sacris dicitur creari, non quia secundum suum esse naturale & physicum producat ex nihilo (quod importat vera creatio) sed quia infunditur à Deo nullis nostris meritis præcedentibus, quod habet quandam similitudinem creationis, potestque creatio moralis appellari. Adde quod etiam in Scriptura homo iustus dicitur per gratiam generari, juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui; & istud Petri: Sicut modo geniti infantes: omnis autem generatio, de præpâ humanâ, fit per formam educationem, non verò per ipsius creationem.
44. Obicies secundo: Actio, per quam producit gratia sanctificans, debet esse omnium præstantissima, cum talis qualitas in nobilitate & perfectione quamcumque rem creatam, vel creabilem excedat, ut disp. præced. art. 1. ostendimus: Sed creatio multo nobilior est educatione: Ergo gratia sanctificans non educitur sed creatur.
- Confirmatur: Anima rationalis producit per creationem: Ergo & gratia, quæ animâ rationali perfectior est, cum ista sit ordinis naturalis, illa verò supernaturalis.
45. Ad objectionem respondeo, actionem per quam Deus producit gratiam, debere quidem esse præstantissimam, sed accommodatam conditioni eius: creationem autem non esse productionem, quæ sit accommodata conditioni naturaligratie, sed solum educationem; nam cum gratia sit accedens, atque adeo non sit naturaliter per se subsistens, dependet in suo esse & fieri à suo subjecto, & consequenter ex potentia eius, non non quidem naturali, sed obedientiali educitur, si connaturaliter producat: unde præstantia productionis eius supra productiones aliarum formarum ipsi inferiorum, per hoc sufficienter salvatur, quod nulla sit creatura, in cuius virtute activa principaliter concurrente, vel in cuius potentia passiva naturali præcontineatur.
- Ad confirmationem, concessio Antecedente, negatur Consequentia & paritas: Ratio discriminis est, quia licet gratia sanctificans sit perfectior quoad ordinem & speciem suam animâ rationali, est tamen eâ imperfectior quoad modum essendi: quia cum sit accedens, dependet connaturaliter in suo esse & fieri à suo subjecto; anima verò, cum sit forma non accidentaliter, sed substantialiter, & per se subsistens, non dicit talem dependentiam à corpore, ac proinde non est mirum, quod ex illo non educatur.
46. Obicies tertio: Illud incipit per creationem, quod desinit per annihilationem: Sed gratia desinit per annihilationem: Ergo incipit per creationem. Major patet ex supra dictis. Minor probatur ex D. Thoma in 2. dist. 26. quæst. unica art. 2. ad 5. ubi expresse dicit, quod cum gratia corrumpitur, simul etiam in nihilum redit.
47. Respondeo concessâ Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem dicendum cum Conrado supra qu. 110. art. 2. ad 3. D. Thomam in illo loco non sumere nomen annihilationis strictè, prout distinguitur ab omni corruptione, sed pro ipsa corruptione formæ, quæ totum suum esse amittit, ita ut nulla pars ejus in se remaneat, sed tantum in potentia subjecti: sic enim idem S. Doctor in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 2. ad 1. dicit in mutationibus naturalibus formam corrupti annihilari, nisi (inquit) quatenus manet in potentia in suo subjecto.
- Obicies quarto contra tertiam partem conclusionis: Educi de potentia subjecti, aliquid speciale denotat, & diversum ab inhesionem & receptionem formæ in subjecto: Sed nulla alia dependentia reperitur in gratia sanctificante respectu animæ, nisi quod ipsi inheret, & in ea ut in subjecto recipitur: Ergo ex illa non educitur. Major probatur: tum quia anima rationalis recipitur in materia; & tamen ex ipsa non educitur: tum etiam quia productio formæ in subjecto potest quidem appellari inductio, non tamen educio; cum particula ex aliquid speciale denotet ab inhesionem, vel receptionem, vel sustentationem distinctum.
- Respondeo ad educationem formæ, vel accedentis non sufficere quod inhereat subjecto, aut in ipso recipiatur, sed insuper requiri, quod talis forma mediâ inhesionem, vel receptionem ejus in subjecto recipiat esse: unde anima rationalis, licet recipiatur in materia, ab ipsa tamen non educitur, quia existit independentem ab illa, propriaque gaudet existentia & subsistentia; contra verò cum gratia sanctificans, utpote essentialiter accedens, recipiat connaturaliter suum esse mediâ inhesionem ejus in anima, ejus productio inductio simul & educio dici debet; inductio, quia producit cum inhesionem; educio, quia dependet connaturaliter in suo esse ab illa inhesionem; quæ dependentia per particulam ex denotatur.
- Obicies quinto: Ut aliqua forma educatur ex subjecto, requiritur quod fiat per actionem transmutativam illius: Sed gratia sanctificans (ea saltem, quæ Angelis & primis parentibus in ipso creationis momento collata fuit) non potuit fieri per actionem transmutativam subjecti: Ergo nec ab illa educi. Major docetur communiter à nostris Thomistis in 2. physice. Minor autem videtur manifesta: ad transmutationem enim subjecti requiritur, quod illud præcedat formam prioritate temporis, vel saltem instantis, & in tali priori sub ejus privatione existat: Sed subiectum gratiæ Angelorum & primorum parentum non præcessit in aliquo instanti privatum hujusmodi formâ, cum illam in primo creationis momento receperint, & simul fuerit Deus in Angelis condens naturam, & largiens gratiam, ut supra ex Augustino vidimus: Ergo talis gratia per actionem subjecti transmutativam facta non est, nec per consequens educata, sed creata, vel concreata.
- Respondeo concessâ Majori, negando Minorem. Ad cuius probationem dicendum, quod licet ad actuale subjecti transmutationem requiratur, quod illud præcesserit in aliquo instanti, seu priori in quo, privatum formâ quam recipit, ut tamen actio productiva formæ sit, quantum est ex se, transmutativa subjecti, sufficit quod sit distincta ab ea, qua subjectum producit, & non habeat invariabilem nexum cum illa; ut docent nostri Thomistæ loco cit. ubi agunt de educatione formarum: actio autem, qua gratia Angelis & primis parentibus in ipso

ARTICULUS III.

Verum ad gratiam sanctificantem requiratur aliqua dispositio, illaque sit physica & ex natura rei, vel duntaxat moralis, & ex divina institutione.

S. I.

Quibusdam præmissis utraque difficultas resolvitur.

Notandum primò, duo genera dispositionum solere distingui à Philosophis: quædam dicuntur remotæ, vel antecedentes, quæ formam tempore præcedere solent, & ab illa possunt separari: aliæ vero vocantur proximæ, seu concomitantes, quia formam semper concomitantur, & ab ea sunt inseparabiles: v. g. calor ut duo est dispositio remota, & antecedens formam ignis; calor vero ut octo, qui est proprietas fluens ab ejus essentia, dicitur dispositio illam concomitans.

Notandum secundo, eorum, qui gratiam sanctificantem recipiunt, alios esse adultos, habentes usum rationis & liberi arbitrii; alios parvulos usum rationis & liberi arbitrii carentes, quibus in Sacramento baptismi infunduntur gratiæ & virtutes supernaturales, quæ ab ipsa ut proprietates dimanant. His præmissis,

Dico primò, Ad gratiam habituales requiri aliquas dispositiones ex parte suscipientis, nimirum motus liberi arbitrii in adultis; in parvulis vero virtutes infusas, tam theologicas, quam morales, quæ cum ipsam semper comitentur, & ab ea sunt inseparabiles, dispositiones ejus concomitantes dici possunt.

Hæc conclusio, quantum ad adultos, & certa de fide, definita in Tridentino contra Lutheranos & Calvinistas sess. 6. cap. 6. his verbis: *Disponuntur autem (adulti) ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, &que adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum.* Et infra inter alias dispositiones ad gratiam requisitas, actum fidei, spei, & poenitentia recenset. Item can. 9. anathema dicitur ei, qui dixerit solâ fide impium justificari, & nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi.

Favet etiam Scriptura, & SS. Pates. Nam 1. Regum 7. dicitur: *Præparate corda vestra Domino.* Et Eccl. 2. *Qui timeant Dominum, præparabunt corda sua.* Item SS. Patres passim affirmant, debere hominem in animo suo aditum patefacere divinæ gratiæ, ut illius fiat particeps. Ita Cyprianus in epist. 2. ad Donatum, ubi hæc scribit: *Profluens largiter spiritus, nullis finibus premitur, nec coercitibus claustris intra certa murorum spatia frenatur: manat jugiter, exuberat abundanter; nostrum tantum sicut pectus, & pateat; quantum illuc fidei capax offerimus, tantum gratia inundantis haurimus.* Ita etiam S. Cyrillus Hierosolymitanus catech. 1. & D. Augustinus serm. 15. de verbis Apostoli, ubi aperte agnoscit dispositiones requiri ex parte adulti ad gratiam recipiendam, quando dicit: *Qui creavit te sine te, non te justificabit sine te.* Et postea addit: *fecit nescientem, justificat volentem.* Denique D. Bernardus lib. de gratia & lib. arbit. hæc habet: *Si tollas liberum arbitrium, non erit quod salvetur; si tollas gratiam, non erit unde salvetur: opus hoc sine duobus effici non potest, uno à quo fit, altero in quo fit; quodque à solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absque con-*

Q 2

sensu

creationis momento collata fuit, habuit duas illas condiciones; fuit enim distincta ab actione, qua Angeli & primi parentes à Deo producti sunt, & cum ea non habuit inviolabilem nexum; cum gratia sanctificans à substantia Angelorum & primorum parentum per modum proprietatis non dimanaverit, unde fuit producta per actionem de se transmutativam subiecti (quod ad educationem sufficit) quamvis per accidens illud actus defecto non transmutaverit, quia per accidens in eodem momento, quo illud conditum est, gratia producta fuit, & sic non præcessit in aliquo instanti sub privatione illius.

Obijciens ultimò: Si gratia educeretur de potentia obedienciali subiecti, educeretur etiam de potentia naturali: Sed hoc dici nequit, cum gratia sit qualitas ordinis supernaturalis: Ergo nec illud. Sequela probatur: Potentia obediencialis est ipsa entitas naturalis rei: Ergo si gratia educatur de potentia obedienciali subiecti, educetur etiam de potentia naturali.

Respondeo negando sequelam Majoris: Ad cuius probationem dico, potentiam obediencialem non esse præcisè entitatem naturalem animæ, sed ipsam animæ entitatem ut dicentem respectum ad actum, & potentiam activam supernaturalem: quare potentia hæc obediencialis passiva, neq; est simpliciter naturalis, neq; simpliciter supernaturalis, sed quid medium inter potentiam passivam naturalem & supernaturalem, in aliquo conveniens, & in alio differens ab utraque; habet enim duo, unum quod sit innata animæ secundum suam naturam; alterum quod respiciat actum supernaturalem, ad quem non potest reduci per potentiam activam naturalem, sed solum per supernaturalem; in primo convenit cum potentia naturali, & differt à supernaturali contra in secundo convenit cum supernaturali, & differt à naturali.

Dices: non datur medium inter ens naturale & supernaturale, sicut non datur medium inter excedens & non excedens ordinem naturæ; quia sunt contradictoria: Ergo non datur potentia passiva in rebus creatis, quæ neq; sit naturalis, neq; supernaturalis, sed media inter utramque.

Respondetur hæc instantiâ solum probari, quod potentia obediencialis præcisè quoad suam entitatem considerata sit naturalis, vel supernaturalis, non verò quod sit simpliciter in ratione potentia passivæ naturalis, vel supernaturalis: ratio enim potentia passivæ non consistit in entitate subiecti absolute sumpta, sed, pro ut importat ordinem ad actum recipiendum, & ad potentiam activam; subindeque ut dicatur simpliciter naturalis, non satis est, quod ejus entitas sit naturalis, sed etiam requiritur, quod respiciat actum, & potentiam activam naturalem; potentia autem obediencialis passiva, de qua loquimur, respicit actum & potentiam activam supernaturalem.

Instabis adhuc: Si potentia obediencialis non sit supernaturalis, anima ratione illius non erit ejusdem ordinis cum gratia, utpote simpliciter supernaturali; ac proinde non erit causa materialis ipsius.

Sed nego Consequentiam: in causa enim materiali non requiritur æqualis perfectio cum effectu, sed minor sufficit; quandoquidem ejus causalitas non consistit in hoc, quod tribuat perfectionem esse cui, sed potius in eo, quod ab illo perficiatur & actuetur.

Tom. IV.

sensu esse non potest recipientis, quam absque gratia

62. Ratio etiam suffragatur: Nam ut discursit S. Thomas quasi sequenti art. 3. Deus movet unumquodque secundum modum suum & naturam: ac proinde cum movet adultum de peccato ad iustitiam, simul etiam movet liberum arbitrium ad eandem iustitiam, & iustitiae fontem: quia homo adultus ex natura sua & modo operandi est liber, liberum autem ita postulat moveri, ut se moveat, exceptis motibus primo primis, in quibus natum est moveri solum.

63. Quod vero etiam in parvulis aliqua requiratur dispositio saltem concomitans ad gratiam recipiendam, probatur ratione ejusdem S. Doctoris hic art. 2. & 1. p. qu. 12. art. 5. Omne quod elevatur ad aliquid excedens suam naturam, debet disponi aliqua dispositione, maxime quando forma, ad quam elevatur, est perfecta, & per se primo intenta, ac terminus ultimus generationis: Sed homo per gratiam habitualement elevatur ad participandam divinam naturam, quae participatio est supra naturam hominis, & terminus ultimus generationis spiritualis: Ergo oportet quod homo, sive sit adultus, sive parvulus ad illam recipiendam disponatur. Dixi, quando forma est perfecta, & per se primo intenta, ac ultimus terminus generationis spiritualis: quia sicut in naturalibus indispensabiliter requiruntur dispositiones ad formas substantiales, eo quod per se primo intenduntur, & sunt terminus ultimus generationis naturalis, non vero ad formas accidentales, quia ordinantur ad substantiales; ita in supernaturalibus non ad quaecunque formam requiritur dispositio, sed ad eas solum, quae sunt perfectae, & per se primo intentae: unde quia essentia divina comparata ad intellectum creatum in ratione speciei intelligibilis habet rationem formae ultimae & principalis, constituentis in esse divino intelligibiliter, ideo requirit aliquam dispositionem, quae est lumen gloriae; ad ipsum vero lumen gloriae, quod est forma quaedam, non per se primo intenta, sed ad aliam ordinata, non requiritur aliud, quam potentia obedientialis passiva intellectus creati. Similiter licet ad gratiam actualem nulla requiratur dispositio ex parte hominis, quia illa est forma vitalis, & ad aliam ordinata; ad habitualement tamen, quae est forma perfecta, constituens in esse divino participato, & ultimus terminus generationis spiritualis, requiritur aliqua dispositio ex parte recipientis, sive ille sit adultus, sive parvulus.

64. Quod autem in parvulis non possint dari aliae dispositiones, quam virtutes infusae, tam theologicae, quam morales, patebit referendo ac refellendo alios dicendi modos, qui traduntur ab Authoribus, & videntur absurdi, aut improbabilis. In primis enim quod ait Cajetanus hic art. 2. nimirum dispositiones ad gratiam in parvulis esse merita Christi, probabilitate caret: nam merita Christi sunt extrinseca recipienti gratiam, & potius causae morales, quam dispositiones physicae ad illam recipiendam. Similiter etiam sententia Capreoli & Paludani, asserentium dispositionem ad gratiam in parvulis esse characterem, rejicienda est: quia dispositio concomitans semper ac necessario formam comitatur, & ab ea inseparabilis est: character autem gratiam non comitatur necessario, sed saepe sine illa reperitur; sicut etiam gratia fuit

in antiqua lege sine characterem, & potest esse in Carechumenis, si de peccatis conterantur, aut Deum super omnia diligant. Item communiter rejicitur opinio quorundam Antiquorum, qui dicebant animam parvuli preparari a Deo ad gratiam recipiendam per ornatum quendam: nam ille ornatu est omnino ficticius, & ab Antiquis illis praecipue inventus; eo quod haec duo aliter nescirent componere, scilicet Sacramenta novae legis physice iustificare, & tamen gratiam produci per creationem, ad quam non potest creatura etiam instrumentaliter elevari; unde dixerunt Sacramenta non causare immediate gratiam, sed vel characterem, vel ornatum quendam ad gratiam disponentem, sicque physice influere in iustificationem. Nunc autem sublata penitus est illa difficultas, dum ab omnibus communiter docetur, gratiam non creari, sed de potentia obedientiali animae educi, ut visum est articulo precedenti.

Quare dicendum est, dispositiones ad gratiam in parvulis non esse alias, quam virtutes infusae, tam theologicas, quam morales. Unde in adultis anima disponitur ad receptionem gratiae, nedum per habitus, sed etiam per actus, quia illi habent usum rationis & libertatis: in parvulis vero per solos habitus, quia isti non sunt capaces dispositionum per modum actus secundi, defectu libertatis. Hic dicendi modus valde rationi consentaneus est: nam sicut in naturalibus, inferimus accidentia quaedam disponere ad introductionem formarum, quia forma illa bene & connaturaliter se habent cum illis, nec possunt connaturaliter sine illis subsistere: ita pariter colligi debet, praedictas virtutes disponere ad gratiam, quia cum illis gratia bene se habet, & est in statu suo connaturali, iisque destructis periret, nisi miraculose a Deo conservaretur. Sicut ergo in naturalibus accidentia quaedam dimanant naturaliter a formis, & sunt illis simpliciter posteriora, utpote in genere causae efficientis ab eis procedentia, & tantum secundum quid, in genere scilicet causae materialis dispositivae, priora, ut docent communiter nostri Thomistae in Tractatu de generatione & corruptione; ita virtutes infusae dimanant physice a gratia, suntque illa posteriores in genere causae efficientis, ac proinde simpliciter; & tamen sunt ea priores secundum quid, nimirum in genere causae materialis dispositivae.

Dico secundo, Actus liberi arbitrij moti a Deo, esse dispositiones physicas, & ex natura rei ad gratiam sanctificantem. Est contra Suarezem, Lorcam, & alios extra scholam Divi Thomae, asserentes tales actus esse dispositiones ad gratiam duntaxat morales, & ex divina institutione.

65. Probatum primo conclusio ex D. Thoma hic artic. 2. ubi sic habet. Praeexistit ad gratiam aliqua gratia preparatio, quia nulla forma potest esse, nisi in materia disposita. Ex quibus sic argumentor: Eam dispositionem D. Thomas requirit ad gratiam, sine qua nulla forma potest esse in materia: Sed dispositio sine qua nulla forma potest esse in materia, est physica, & ex natura rei requisita, ut patet, cum sine dispositione morali possit aliqua forma esse in materia: Ergo ad gratiae receptionem Divus Thomas requirit dispositiones physicas, & non solum morales.

Proba-

67. Probatur secundò cum Conrado hic artic. 2. A
Ordo & natura rei requirit, ut qui per actuale
motum gratiam amittit, & à Deo averfus est, se
per motum actuale ad Deum convertat, &
gratiam consequatur; & nisi talem motum ha-
beat, non fit aut censeatur ad gratiam dispositus:
Ergo talis motus est dispositio physica, & ex na-
tura rei, & non solum moralis, ac ex institutio-
ne divina.

68. Probatur tertio: Illæ dispositiones dicuntur
physicæ, & ex natura rei, quæ verè & realiter
coaptant subiectum ad formam, & habent ne-
cessariam cum ea connexionem, & impossibili-
tatem ac oppositionem, cum forma opposi-
ta: Sed actus contritionis & charitatis habent
omnes illas condiciones respectu gratiæ sanctifi-
cantis; cum enim sint ejusdem ordinis cum gra-
tiâ, verè & realiter coaptant animam ad eam
recipiendam; & cum poenitentia & charitas sint
proprietates gratiæ, ab ipsa dimanantes, actus
ipsarum habent intrinsecam & necessariam cum
ea connexionem, & infallibiliter ipsam trahunt:
item cum actus charitatis sit conversio actualis
in Deum, ut ultimum finem, habet indirectam
saltem oppositionem cum peccato, quod ab
ipso avertit, & cum illo est impossibilis: Er-
go actus contritionis & charitatis sunt disposi-
tiones physicæ, & ex natura rei, ad gratiam san-
tificantem.

69. Probatur quartò: Omnis causalitas moralis
reducitur ad meritum, vel impetrationem: Sed
actus contritionis & charitatis non disponunt ad
primam gratiam iustificantem, per modum me-
riti, vel impetrationis: Ergo ad illam non dispo-
nunt solum moraliter. Major constat: Minor
etiam quantum ad primam partem patebit ex
dicendis Tractatu sequenti, ubi ostendemus pri-
mam gratiam actualem, vel habitualementem, non
posse cadere sub merito operum præcedentium.
Probatur verò quoad secundam partem. Ad o-
rationem non semper, nec infallibiliter sequitur
effectus: Sed positus actibus contritionis & cha-
ritatis, semper, & infallibiliter sequitur gratia
sanctificans, ut docet Tridentinum sess. 6. cap. 7.
Ergo illi actus non se habent solum per modum
impetrationis ad gratiam obtinendam, sed verè,
realiter, ac physicè, ac illam recipiendam ani-
mam præparant, ac disponunt.

§. II.

Solvuntur objectiones.

70. Obijciens primò contra primam partem pri-
mæ conclusionis: Agens infinitæ virtutis
nullam requirit dispositionem in materia: Sed
Deus qui gratiam causat, est agens infinitæ vir-
tutis: Ergo ad illam producendam nullas requi-
rit dispositiones ex parte recipientis.

71. Respondeo primò cum Divo Thoma hic art.
2. ad 1. agens infinitæ virtutis non præexigere
dispositionem ab alio agente præsuppositam, be-
ne tamen dispositionem quam ipsum faciat:
Deus autem mediante gratiâ actuali, movente &
applicante liberum arbitrium, actus contritio-
nis & charitatis in nobis causat, licet non sine
nobis ipsi cooperantibus.

72. Respondeo secundò, agens infinitæ virtutis
non requirere dispositionem propter impoten-
tiam suam, sed propter recipientis conditionem:
cum enim voluntas nequeat immutari per vio-
lentiam, sed proprio motu, ad immutationem

quæ sit per gratiam, debet in adulto præsuppo-
ni, in genere causæ materialis, dispositio per pro-
prium actum causatam ex motione divina.

Obijciens secundò contra secundam partem 73.
ejusdem assertionis, in qua diximus requiri dis-
positiones ad gratiam, etiam in parvulis: Scri-
ptura, Concilia, & SS. Patres ponunt disposi-
tiones ad gratiam in actibus liberi arbitrij: Sed
parvuli carent usu liberi arbitrij: Ergo in ipsis
nulla potest esse dispositio ad gratiam. Unde S.
Thomas in 4. dist. 17. quest. 1. art. 2. asserit in
parvulis non requiri aliquam præparationem
ad gratiam.

Respondeo Scripturam, Concilia, & Patres 74.
loqui de dispositionibus adultorum, quia ut plu-
rimum monent aut hortantur homines ut ad
gratiam se disponant.

Add. Thomam dicendum est ipsum loqui de
dispositionibus in actu secundo, ut patet ex ter-
mino quo utitur: præparatio enim non significat
quancumque dispositionem, sed dispositionem
per modum actus sequendi.

Obijciens tertio contra secundam conclusio-
nem: Dispositio physica recipitur in eodem sub-
jecto cum forma ad quam disponit: Sed actus li-
beri arbitrij, disponentes ad gratiam sanctifi-
cantem, non sunt in essentia animæ, quæ est sub-
jectum talis gratiæ, sed in ejus potentijs: Ergo
non sunt dispositiones physicæ ad illam, sed tan-
tum morales, & ex divina institutione.

Confirmatur: Dispositio physica ad aliquam 76.
formam, debet semper, & in omni recipiente
esse necessaria: Sed motus liberi arbitrij, dispo-
nens ad ultimos ad iustificationem, non sunt dis-
positiones necessariae in omni subiecto ad rece-
ptionem gratiæ sanctificantis, ut constat in par-
vulis: Ergo non sunt dispositiones physicæ, live
ex natura rei, ad receptionem talis gratiæ.

Confirmatur amplius: Dispositio physicè ne- 77.
cessaria ad formam introductionem, solet etiam
esse necessaria ad conservationem ejus in obje-
cto: Sed gratia ad sui conservationem non indi-
get dispositione consistente in actibus liberi ar-
bitrij, ut patet in iustis dormientibus: Ergo illi
actus non sunt dispositio physica, live ex natura
rei ad ipsam.

Ad objectionem respondeo, dispositiones & 89.
formam debere quidem recipi in eodem sub-
jecto quod, id est in eodem composito, vel suppo-
sito; non requiri tamen quod in eodem subiecto
quo & immediato, seu in eadem potentia subje-
centur: nam ut docet Aristoteles, bona imagi-
natio est dispositio ad bonum ingenium, & ta-
men non relident in eodem subiecto; & in sen-
tentia Thomistarum dispositiones ad formam
substantialem non recipiuntur immediate in ma-
teria prima, in qua recipitur forma substantia-
lis, sed in toto composito: non est ergo necellari-
um ut dispositiones ad gratiam sanctificantem,
quævis physicæ sint, subjeccentur in essentia
animæ, in qua est talis gratia, sed satis est, ut im-
mediatè subjeccentur in aliqua animæ potentia;
hanc enim perficiendo, actuando, & elevando,
perficiunt etiam & elevant animam, ut sit pro-
portionata ad recipiendam gratiam.

Ad primam confirmationem respondeo ne- 79.
gando Majorem universaliter sumptam: discursus
enim est dispositio physica, live ex natura rei,
prærequisita in homine ad scientiam; à quo ta-
men non dependet scientia in Angelo; vita in
uno homine realiter dependet à tali complexio-
ne,

ne, à qua tamen non dependet, sed à contraria, in alio; mollities in ira ex natura rei dependet à calore, & tamen hanc dependentiam non habet in luto. Pariter ergo, si gratia sanctificans in pueris nullam dicat dependentiam à motibus liberi arbitrij, eam tamen ex natura rei importat in adultis peccatoribus.

Ad secundam similiter dico, Majorem non esse universaliter veram, sed aliquando falsam: calor enim qui requiritur ad introductionem formæ carbonis in lignum, non est necessarius ad talis formæ conservationem.

Agendum hic esset de dispositionibus ad gratiam actualem, & discutiendum, an homo ex viribus naturæ possit disponere ad primum auxilium gratiæ, vel saltem, an facienti quod in se est ex sola facultate naturæ, Deus non denegat gratiam, sed ipsam infallibiliter & ex certa lege impertiatur? Verum quia in Tractatu de prædeterminatione, dilucide & exacte has difficultates resolvimus, ab his in præsentia abstinemus, & ad locum illum Lectorem remittimus. Unde sit

Diff. 2.
Art. 3.

DISPUTATIO V.

De Certitudine gratiæ.

Divus Thomas artic. 5. hujus questionis 112. agit de certitudine gratiæ: unde ut ea quæ ibi docet exponamus hanc disputationem subjungimus, in qua duo tantum examina occurrunt. Primum est, an aliquis, seclusa peculiari revelatione, possit esse certus certitudine fidei, vel theologicæ, se esse in gratia, & emundatum ab omni peccato? Secundum, an saltem possit habere certitudinem moralem suæ justitiæ, quæ omnem formidinem excludat?

ARTICULUS PRIMUS

An sine peculiari revelatione homo possit esse certus certitudine fidei, vel Theologicæ, se esse in gratiæ

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum, & duplici conclusione proposita difficultas resolvitur.

1. **S**upponimus tanquam certum & indubitatum, aliquem hominem privatum certò posse cognoscere, & credere se esse in gratia, si hoc specialiter ei revelatum fuerit, sicut fuisse revelatum Adamo in statu innocentie, & Angelis in statu viæ, tenent plures Theologi: imò S. Thomas hic art. 5. docet aliquibus Sanctis ex speciali privilegio hoc interdum revelari, ut (inquit) securitatis gaudium in hac vita in eis incipiat, & confidentius & fortius magnifica opera prosequantur, & mala præsentis vite sustineant.

2. **Q**uestio ergo procedit de via ordinaria, & citra hujusmodi privilegium; & movetur primò contra hujus temporis hæreticos, asserentes hominem in hac vita non tantum posse esse certum de sua gratia & salute, sed etiam teneri fide Catholicâ credere se esse justificatum. Secundò

A movetur contra Catharinos, qui opusculo de certitudine gratiæ docet justum posse discursu theologico (deducto ex una propositione de fide, & alterâ lumine naturali notâ) certò & evidenter cognoscere se esse in gratia. Pro veritate Catholicæ declaratione & defensione

Dico primò: nullus, seclusa revelatione, potest esse certus certitudine fidei se esse in gratia.

Hæc conclusio probari posset multis Scripturæ testimonijs, sed duo sufficient, quæ adducit D. Thomas hic art. 5. Primum quod habet in argum. *Sed contra*, sumitur ex cap. 9. libri Ecclesiastes: *Nescit homo utrum amore vel odio dignus sit: ubi de amore & odio Dei sermo est, & de homine justo, ut colligitur ex verbis præcedentibus, sunt iusti &c.* Unde D. Bernardus: *Terribile est locum iste, & totius expertis quietis; totus inhorat, si quando in eum raptus sum; illam apud me replicans cum tremore sententiam: Quis scit, si est dignus amore, an odio? &c.*

Secundum quod adducit in corpore articuli, habetur 1. ad Cor. 4. ubi Apostolus ait: *Neque meipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est.* Quem locum idem S. Doctor ibidem lect. 1. sic exponit: *Nihil mihi conscius sum, id est non habeo conscientiam peccati mortalis; sed non in hoc justificatus sum, id est non sufficit ad hoc ut me justum pronuntiem; quia possunt aliqua peccata in me latere quæ ignoro, secundum illud Psalmi 18. Delicta quis intelligit?*

Nec obstat quod idem Apostolus (teste D. Thomâ hic art. 5.) sciverit per revelationem se esse in gratia: nam vel quando prædicta verba protulit, adhuc non habuerat talem revelationem; vel si eam habuerat, ea non protulit, prout erat privata quædam persona, sed ut communem hominum personam agens; sicut cum dixit ad Rom. 7. *Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, quod enim operor non intelligo; aut si pro seipso ea protulit, hoc fecit attendendo ad communem modum cognoscendi propriam justitiam, præciso privilegio specialis revelationis, quod habebat.*

Probatur secundò conclusio ex SS. Patribus, 4. in eandem veritatem passim conspirantibus: Augustinus enim super hæc verba Psal. 50. *Incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi, nihil tam incertum & occultum esse ais, quam quod Deus ignoscat peccantibus.* Et lib. de perfect. justitiæ post medium: *Quantum libet (inquit) justitiâ sit præditus homo, vereri debet, ne aliquid in se, quod ipse non videt, culpandum inveniat.* Gregorius Magnus lib. 6. Epist. 22. respondens ad Gregoriam Augustæ cubiculariam, quæ de remissione suorum peccatorum certior fieri vehementer exoptans, ad eum scripserat, hæc habet: *Rem mihi difficilem, & tibi inutilem postulasti; difficilem, quia indignus sum cui revelatio immittatur à Deo; tibi inutilem, quia securitas negligentiam parit.* Idem Bernardus serm. 3. de adventu, de sua & proximi conscientia loquens, *Neutra (inquit) satis mihi nota, utraque abyssus inscrutabilis, veraque mihi nox est.* Quibus testimonijs aperte liquet, SS. Patres multum ab hac certitudine, quam jactant hæretici abfuisse.

Notant etiam SS. Patres, & Scripturæ Interpretes, quod Scriptura agens de remissione peccatorum, respectu personarum particularium, semper adhibet particulam istam, *forte ut à nobis perniciosam hanc justitiæ propriæ confiden-*